



9 C 14

7
L. G. bb.

9C 14



ACTVM TERTIVM

ACTVM TERTIVM

ACTVM TERTIVM



L. 193,



AD
ACTVM POETICVM

VALE DICENDI PARTIM, PARTIM INGENII
 EXERCENDI ERGO,

IN
GYMNASIO MARTISBURGENSI

D. XXV. OCTOBR. CLC LCCCLII.

HORIS LOCOQVE CONSUVETIS
 PVBLICE CELEBRANDVM,

PATRONOS, FAVTORES, AMICOS,

QVA FAS EST, OBSERVANTIA

INVITAT,

QVAEDAM

DE MONTIVM IGNIVOMORVM NATVRA,
 ET DE NVPER EXORTO IN SABAVDIA
 MONTIS INCENDIO,

BREVITER PRAEFATVS,

M. BALTHASAR HOFFMANN,
 RECTOR.

MARTISBURGI,

EX OFFICINA LAITENBERGERIANA.



ovam Vulcanus, quem et Mulciberem poëtae vocitant, officinam, eamque fatis terribilem, his nostris diebus aperuisse, sapa perhibetur. Olim in montibus ille veteris Campaniae et Siciliae, Vesuvio nempe et in primis Aëna, Cyclopius suis operas fabriles demandasse, ab antiquitate fabulose tradebatur; de quibus Virgilius, Aeneid. L. VIII, non sine venustate ita canit:

Cyclopum exesa caminis

Antra Aënaea tonant, validique incubibus ictus

Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis

Stricturae chalybium, et fornacibus ignis anhelat;

Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,

Bronzesque, Steropesque et nudus membra Pyracmon.

Jam vero, praeter formidolosas has, aliasque huiusmodi, quae successu temporis ex navigantium in usum innotuerunt, fabricas, novam sibi in Sabaudiae ducatu construxisse fornacem videtur Vulcanus. Ne vero in terrore et clade aliorum jocari videamur; quae res sit, narrare placet ea fide, qua nunciis publicis illa ad nos fuit allata. In tractu nimirum Faciniaco, (Faucigny,) qui in Sabaudia est, haud procul ab oppido Bonnopoli, (Bonneville,) quod Arva fluvius alluit, mons situs est, quem incolae sua lingua *Plainejeu* appellant. Pars hujus montis, paucis abhinc mensibus, telluris pulsu commoti, non sine insigni accolarum horrore et clade, ex improvviso corruit. In reliquo montis apice variis locis fumum quidem, sed sine flamma exurgentem, observabant spectantes: e continuo murmure subterraneo, acrique sulphuris odore olfaciebant facile, fore, ut faeces tandem ipsae subsequerentur. Quod metuerant, haud multo post experiebantur. Binos enim per hiatus, quos mons die XIX. mensis Julii et I. Augusti passus erat, vis flammaram die IX. Septembris ingenti fragore prorumpebat, adeo indes hucusque aucta, ut II. quibus Vesuvii Aënaeque miracula oculis usurpare licuit, serio asseverent, parum abesse, quin novum hujus montis incendium strepitu pariter ac ignium furore, illorum pestem acquiraret; accedit, quod ex circumjecti campi passim fissuras sentiant. Mirabilia sane et portentosa haec sunt, uti hujus, ita aliorum montium ignivomorum phaenomena. Res ipsa quidem non nova; novus tamen tanti monstri locus est. Materiam ad urendum aptam jam pridem in terrae gremio delituisse, stat in aprico, quae nunc demum, quassatione scissuraeque telluris facta, in flammam abiit. Videt oculus effectum, qui et de causa, de copia nimirum sulphuris subterranei, testatur: sed multa adhuc curioso naturae scrutatori quaerendi supersunt argumenta: in primis, quo ignis modo exciteretur; cur desinat, iteratoque furere incipiat; unde aëris afflatus ad flammam necessarius: haec et alia sub terrae involucris latent abscondita. Principis Esterhassii uxor haud ita pridem masculo quidem animo Vesuvii montis caecumen ascendit, crateremque ejus speculata, quinimo, raro prorsus exemplo, craterem vino Tokaeano impletum, in loco tanti periculi pleno, ebibere haud verita est; quo vel solo facto singularem magni et nominis et animi famam sibi comparavit: sed praeter externam montis faciem parum inde retulit. Naturae arcana non sensu magis, quam mente et intellectu sunt rimanda ac penetranda. Descendamus quae so in profundum, nihil periculi, neque a flammis subterraneis, neque ab ipso inferno, quem superstilio olim in terrae centro locavit, pertimescentes; itineris laborem fructus inde captus non leviter remunerabitur. Jacta est alea, permeanda tellus.

Cernisne

Cernisne fodes, antra, cavernas, ingentesque illos meatus subterraneos? qui nisi paterent, neque ignis, neque terrae motus oriri posset; quis enim motus concitaretur in solida compactaque, sine vacuo, tellure. Unde vero aër ille, et, qui vultus nostros in hisce speluncis afflat, ventus? procul dubio a perpetuis exhalationibus, quae tum ex infima abyssu, sine cessatione ascendere nituntur, tum ex aquis, variis passim canalibus sub terra obviis, enascuntur. Praevideo te interrogaturum, illarum exhalationum quis primus sit motor? Cum Burneto ignem in telluris centro detentum statuere vix audeo. Non enim video, quo fieri pacto possit, ut inde a mundi creatione ignis ille alatur, et sine libero aëris commercio conservetur; nisi concedere vellem, longe aliud centalem hunc ignem esse naturae, imo mere elementarem, qui cum inexhausto illo Solis mari congrueret, quod post emissos innumerabiles radios, nunquam tamen minuitur. Solem potius ipsum arbitrarer tanta esse efficacia, ut aeternis suis radiis, quibus ambit, illustrat et calefacit humum, eo usque in viscera ejus penetrat, ut imbecando et remecando excitet electeque vapores, succurratque eo modo exhalationibus; nec dubium est, quin, cum tota natura perpetuo procedat circulo, largissimusque et promus et condus sit, graviôres particulae acque descendant, ac leviores ascendant, ita quidem; ut nunquam sua ipsi exhalationibus deficit oriundi materia. Sed longiores fumus, ergo jam progrediendum. Aves nunc percipere, quomodo tandem ignis ipsumque incendium sub terris subnasci possit? Fateor, multa pariter difficultate quaestionis hujus evolutionem laborare: brevibus tamen rem expediam. Animadvertisti insigniores, easdemque complures cavernas subterraneas; observasti haud minus aëris copiam continuis exhalationibus genitam mireque adauctam; offensis jam multis in locis, in primis in montanis, vastum sulphuris, bituminis, niri aliarumque rerum igni convenientium apparatus, calore subterraneo praeparatum; haec forte vel suamet ipsum mixtione, vel aëris motu casu facto, vel delapsis collisusque pyritis, flammam concipiunt. Expandit flamma aërem; aër exitum quaerit; quem si inveniat, parum inde incommodi terrarum incolis conficietur; si non inveniat, telluris tremor, quin et gravior motus, quanto profundior compactione caverna fuerit, sequetur. Fieri etiam interdum solet, ut, rupta tellure, ignis et flammae simul eruantur; quae, si frequentem cremandi materiam, quam in montanis praesertim uberem deprehendunt, teneant residuam, diuturnum alere incendium consueverunt. Credibile itaque est, montem illum Sabaudicum largissimo ejusmodi materiae proventu longis inde a seculis collecto esse stipatum. Credibile est, cavernosam sub illis terris esse regionem. Credibile est, in iteratis terrae motibus, qui hoc ipso anno Italiam mirum quantum concusserunt, assixeruntque vehementissime, compagem seu parietem aliquem, hanc inter aliamque cavernam subterraneam diruptum, eoque modo ignem vel aliunde sub tellure aëris vi eo translatum, indeque ubertatem sulphuris accensam, vel alia quacunque causa in flammam redactum fuisse tractum illum subterraneum: inde deinceps terrae tremor; inde ipsa montis ruina, diruptio, incendium. Quod si vero sempiternos ignes subterraneos admittere velis, quos thermae prodere videntur, tanto facilius nodum, alias admodum intricatum, licebit solvere. Caeterum ambabus largimur, naturae arcana fere tanta esse, quanta ejus est sapientia, quem naturae Dominum veneramus. Mirabilis est Dominus, et admiranda sunt ejus opera. Semper itaque aenigmata supererunt, supra et subter tellurem, quorum enotatione colluctandum erit cuicumque Oedipo, sagacissimoque aliquo naturae indagatori. Rimari in rebus ad naturam pertinentibus omnino licet; neque vero minus mirari earundem fabricatorem et pictatis est atque religionis.

Nobis

Nobis vero istis ex cavernis subterraneis jam ad eos regrediendum est, quorum res atque studia postulant, ut vel vale dicendo, vel diligentiae specimina edendo, declamatoriam occupent provinciam, *Venerandis Patronis* suam pietatem, gratum animum, industriadque probaturi. Ab-euntibus, qui Musas nostras cum laude frequentarunt, omnigenam apprecamur salutem, eosdemque felici successu studia sua prosequi, reliquos autem bonorum commilitonum exempla strenue imitari jubemus.

ORDO DICENTIVM.

- * IO. FRIDER. SALOM. SCHNEIDER, *Roeckenf.* Emendationis intellectus influxum in studia monstrat. Carm. latino.
- IO. CHRISTIAN. HAPPE, *Africanf.* Philosophia eloquentiae oraculum. Versib. german.
- * CHRIST. ANDR. NESTLER, *Martisburg.* Ingrati animi vituperium. Carm. lat.
- GEORG. CHRIST. SCHMIDT, *St. Vric.* De divina providentia. Vers. germ.
- * CHRIST. FRIDER. STOCK, *Libenavienf.* De studio medico attributa divina in speculo quasi representante. Carm. lat.
- IO. GODOFR. LORENTZ, *Martisburg.* Laudem artis pictoriae canit. Oda Germ.
- IO. ANDR. IACOBI, *Doelnizienf.* In causas incredulitatis profanorum nostro aevo hominum inquirat. Oda Alcaic.
- CHRISTIAN. VOIGT, *Burgstadienf.* Antiqua Germanorum fides hodie rara. Vers. germ.
- IO. AVGVSTIN. SEGNITZ, *Martisb.* De angelis eorumque ministerio. Carm. lat.
- FRIDER. AVGVST. MÜLLE, *Ilburgenf.* Animi tranquillitas summum in terris bonum. Versib. german.
- * IO. FRANCISC. KRONBIEGEL, *Brenenf.* De Germanis antiquis literarum secreta ignorantibus disserit, gratiasque agit et suo et reliquorum, qui discedunt, nomine. Orat. lat.
- CHRISTIAN. MICHAEL HEROLD, *Martisb.*
- CHRIST. AVGVST. IMMAN. WALTER, *Martisb.*
- CHRISTIAN. MAVRIT. SCHWOPE, *Martisb.*
- HENR. WILHELM. VOIGT, *Martisb.*
- GODOFR. AVG. MORGENROTH, *Martisb.*
- CAR. CHRISTIAN. MÜLLER, *Kynenf.*
- IO. CHRISTIAN. BÜRCK, *Martisb.*
- IO. ELIAS SEIDEL, *Martisb.*
- CHRIST. HENR. WILH. MAYER, *Colicar.*
- IO. BENEDICT. KVNAD, *Martisb.*
- AVGVST. CHRISTOPH. WEIGER, *Martisb.*
- GODOFR. AVGVST. SEIDEMANN, *Martisb.*

Hi adolescentes de Arte Germanorum poetica disserunt, simulque Regiae Domui de Duce Burgundiae recens nato gratulantur; ad Academiciani abeuntibus autem pie precantur. Vers. germ.

Confluant itaque crastina luce, post sacra pomeridiana, benevolo, quo in Musas earumque cultores feruntur, animo, *PATRONI, FAVORITES, AMICI*, honoratissimaque praesentia sua non solum auditorium nostrum illustrent, sed juventutem etiam studiosae humanissima sua declarent indulgentia, diligentiam et assiduitatem in literis aequis nunquam carere arbitris, calcaria probis ingenis addentibus; id quod, qua par est, et pietate et reverentia rogamus, obsecramus. P. P. Martisburgi d. xxiv. Octobr. A. P. R. S. clō loec II.

* * * * *





98 A4

9C 14

W 28



9C 14

A D
ACTVM POETICVM

VALE DICENDI PARTIM, PARTIM INGENII GYMNASII

EXERCENDI ERGO,

IN

GYMNASIO MARTISBURGENSI

... XXV. OCTOBR. CL^o LXXII.

... LOCOQVE CONSVETIS

... BLICE CELEBRANDVM,

... OS, FAVTORES, AMICOS,

... AS EST, OBSERVANTIA

... INVITAT,

... QVAEDAM

... M IGNIVOMORVM NATVRA,

... NVPER EXORTO IN SABAVDIA

... MONTIS INCENDIO,

... BREVITER PRAEFATVS,

... LTHASAR HOFFMANN,

... RECTOR.

... MARTISBURGI,

... FFICINA LAITENBERGERIANA.

